

Ordo Fratrum Praedicatorum Sancti Dominici, in Regnum Hungariae, Partesque eidem annexas recipitur.

Articulus 65.

Florentem, olim etiam in hoc Regno Hungariae, Religiosum Fratrum Praedicatorum Sancti Dominici Ordinem, Status et Ordines Regni, in Regnum hocce Hungariae, Partesque eidem annexas, absque tamen omni Voto et Sessione recipiunt, cum ea obligatione; ut idem Ordo in Testimonium Gratitude suae, Duodecim Sacrosanctae Missae Sacrificia singulis Annis in perpetuum pro Sacrae Regiae Majestatis, Successorumque Hungariae Regum et Apostolici istius Regni incolumitate, prosperitate et incremento celebrare teneatur.

MARIAE II. UNGARIAE REGIS QUADRAGESIMI OCTAVI DECRETUM II.,
ANNO DOMINI 1751.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De comitatibus Syrmienti, Veröczeni et Posegano ad Generalia Regni Comititia posthac convocandis.

Articulus 23.

Sacratissima Caesarea Regiaque Majestate clementem praebente assensum, per Status et Ordines Regni conclusum est: ut comitatus Syrmii, Veröczensis et Posegani per Suam Majestatem Sacratissimam posthac ad diaetales Regni concursus evocandi, inter reliquos Regni hujus comitatus sessione et voto postliminio gaudere possint, salva in reliquo Regni Hungariae et Banali Jurisdictione.

De abroganda foenilium regnicolarium depascuatione et sylvarum succisione.

Articulus 34.

Ad damnosam illam, et tot legibus vetitam foenilium regnicolarium per Varasdinensis et Carlostadiensis Generalatum militares in Districtu Draganich, Kobilich, Mekreth et Selianecz, nec non Comitatu Varasdinensi in bonis Szent-Ersebet praticari solitam depascuationem, ita et roborum, ac lignorum in silvis Episcopatus Zagrabiensis, oppidi Czirqueno communitatis Draganich, ac aliorum regnicolarum magno eorundem damno et praejudicio passim hinc inde indebite usurpatam succisionem abrogandam, militaribus sua via distinctim sese commissuram benignissime resolvit Sua Majestas Sacratissima: quatenus ab excessibus